

LIBER

occidentem, non erunt salubria, quia per aestatem coelum meridiana sole exoriente calescat, meridie ardet. Item quod spectat ad occidentem, sole exortote pescat, meridie calet, uespere feruet. Igitur mutationibus caloris & refrigerationis, corpora quae in iis locis sunt, uitiantur. Hoc autem licet animaduertere etiam ex iis quae non sunt animalia. In cellis enim uinariis tectis, lumina nemo capit à meridie, nec ab occidente, sed à septentrione, quae ea regio nullo tempore mutationes recipit, sed est firma perpetuo, & immutabilis. Ideo etiā & granaria quae ad solis cursum spectant, bonitatem cito mutant. obsoniaq; & poma, quae non in ea caeli parte ponuntur quae est auersa à solis cursu, non diu seruantur. Nam semper calor cum excoquit, aeribus firmitatem eripit, & uaporibus feruēdis exugendo naturales uirtutes, dissoluit eas, & feruore mollescentes efficit imbecillas, ut etiam in ferro animaduertimus, quod quamuis natura sit durum, in fornacibus ab ignis uapore percalefactū ita mollescat, ut in omne genus formae facilius fabricetur, & idem cum molle & candens est, si refrigeretur tunc etiam frigida, redurescat, & restituitur in antiquam proprietatem. Licet etiā considerare haec ita esse, ex eo, quod aestate, nō solum in pestilentibus locis, sed etiam in salubribus, omnia corpora calore fiant imbecilla, & per hiemem, etiam quae sint pestilentissimae regiones, efficiantur salubres, ideo quod à refrigerationibus solidantur. Non minus etiam quae à frigidis regionibus corpora traducuntur in calidas, non possunt durare, sed dissoluntur. Quae autem ex calidis locis,

†
a rebus